DE GRUYTER

Giuseppe Flammini (Ed.)

HERMENEUMATA PSEUDODOSITHEANA LEIDENSIA

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM TEUBNERIANA

DE G

B I B L I O T H E C A

SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM

T E V B N E R I A N A

HERMENEVMATA PSEVDODOSITHEANA LEIDENSIA

EDIDIT

GIUSEPPE FLAMMINI



MONACHII ET LIPSIAE
IN AEDIBVS K. G. SAUR MMIV

Bibliographic information published by Die Deutsche Bibliothek

Die Deutsche Bibliothek lists this publication in the
Deutsche Nationalbibliografie; detailed bibliographic data is available
in the Internet at **http://dnb.ddb.de.**

Gesamtherstellung: Druckhaus „Thomas Müntzer" GmbH, 99947 Bad Langensalza
ISBN 3-598-71253-7

Sacris Manibus Genitoris
Dilectissimi

PRAEFATIO

Hermeneumata editurus, quae vulgo Pseudodositheana dicuntur, primum omnium de auctore deque eius aetate benivolos lectores certiores faciendos puto. De Dositheo quidem grammatico vel ludimagistro, qui adulescentibus in Graecis et Latinis litteris erudiendis operam dedisset, nihil accepimus, praeterquam quod artem Graecolatinam grammaticam composuit; de qua re duo saec. X ineuntis codices in Sancti Galli monasterio exarati notitiam adferunt, qui sunt Sangallensis 902 (*S*) et Harleianus 5642 (*H*), quorum alter inscriptionem *Incipit Grammatica Dosithei magistri*, alter iisdem fere verbis *Incipit Grammatica Dosithei* continet. Ad quos autem accedit codex Monacensis 601 (*M*), eiusdem fere aetatis ibidemque exaratus,[1] qui tamen, cum aliquot illius artis grammaticae excerpta servaverit, de illo magistello ne ullum quidem verbum facit.[2] Itaque Cuiacius, vir doctissimus iurisque peritissimus – qui ms. Sangallensem tantummodo noverat atque aliam interpretamentorum recensionem, quae hermeneumata Stephani cognominantur –, non dubitandum existimavit quin, cum ms. *S* praeter Grammaticam alia Graece et Latine similiter composita tradidisset – lexicum dico ad rerum capitula redactum et divi Adriani sententiarum collectionem et fabulae Aesopiae exordium, quae *De cervo* inscri-

1. De singulorum recensionis Leidensis librorum aetate v. A. C. Dionisotti, From Ausonius' Schooldays? A Schoolbook and its Relatives, JRS 72, 1982, 87.

2. Huius artis textum Latinum tantummodo ex apographo Sangallensi, quod olim confecerat Niebuhr, edidit F. Oehler, Dositheus und Charisius, RhM 17, 1862, 55–65; Keil autem hoc codice excerptisque Monacensibus usus est, v. Grammatici Latini VII, Leipzig 1880, 365–436; denique Tolkiehn in edenda Dosithei arte ms. Harleiano quoque, quem Krumbacher repperit, est nixus.

bitur – ipse Dositheus horum operum quoque auctor fuisset. Qua autem de re quid Cuiacius, cum primam Adriani sententiam explicaturus esset, senserit, haud absurdum mihi ipsis eius verbis exprimere videtur: „quae sententia cum esset in editione Stephani imperfecta et depravata, eam ita restitui ex bibliotheca S. Galli apud Helvetios, ubi in calce Grammatices Dosithei magistri sunt eiusdem Adriani *Sententiae et Epistolae*, hoc est rescripta brevia longe emendatiora, longeque plura, quae omnia ad ius nostrum civile pertinent Graece et Latine composita".[3]

Postquam autem ms. Leidensis Vossianus gr. Q. 7 est repertus (*L*), qui etsi Dosithei Grammaticam non contineat, ante lexicum tamen verborum glossarium atque post Adriani Sententias et alia scripta ex variis operibus extracta servat – quae vero sunt duodeviginti Fabulae, quae quidem Aesopiae nuncupantur, at variis ex fontibus profluunt, Iuridicus Tractatus ad manumissiones pertinens, aliquot ex Hygini Genealogia Excerpta, belli Troiani Epitome initiis mutila, Conversatio de variis cotidianis momentis horisque tractans – Valckenaerius, qui hunc codicem primus perscrutatus est, Cuiacii vestigia secutus, haec quoque omnia esse Dositheo tribuenda atque eadem saec. III p. Chr. n ineunte illi fuisse redacta intulit,[4] ut quidem id liquidis apertisque verbis in Hygini Genealogiae praefatione declaratum est: Μαξίμῳ καὶ Ἄπρῳ ὑπάτοις πρὸ γ' ἰδῶν Σεπτεμβρίων Ὑγίνου γενεαλογίαν πᾶσιν γνωστὴν μετέγραψα / *Maximo et Apro consulibus tertio Id. Septembres Hygini genealogiam omnibus notam descripsi.* Ne praeterire quidem possum, quod Boeckingius, qui primus Leidensia interpretamenta praeter glossarium et lexicum adnotationibus criticis instruxit,[5] aliique deinceps

3. Cf. J. Cuiacius, Observationum et Emendationum libri XXVIII, Venetiis 1758, XXI 5, col. 564.
4. Cf. J. C. Valckenaer, De Hygini fragmento Dositheano schediasma, Misc. Obss. Critt. X, 1739, 111.
5. E. Boecking, Dosithei Magistri Interpretamentorum liber tertius, Bonnae 1832.

viri docti Valckenaerii ratiocinationem adprobaverunt, dum Keilius, summus in primis philologus, cum Dosithei artem editurus esset, peracute demonstraret idcirco Dositheum nullo modo hermeneumaton quoque auctorem exstare potuisse, quod inter eius fontes M. Plotius Sacerdos quarti saeculi ineuntis grammaticus inveniretur,[6] ut facile intellegi potest, cum definitione temporis quae Hygini Genealogiae addita est non congrueret. Nunc autem tempus est iam Goetzii sententiam referentem me quaestioni Dositheanae finem facere: „Da es nun teils sicher, teils wahrscheinlich ist, daß der *magister*, der die *genealogia* schrieb, auch die übrigen Stücke dem Lehrbuche beifügte, so ist die Autorschaft des Dositheus, der doch nicht vor dem 4. Jhdt. gelebt haben kann, endgültig abgethan, wenn man auch das J. 207 nicht peinlich auf jedes einzelne Stück zu beziehen braucht".[7]

De pluribus autem atque tam inter se discrepantibus recensionibus, quibus interpretamenta Pseudodositheana nobis tradita sunt, hanc unam rationem adferendam puto, permultos ludimagistros in litteris Graecis Latinisque instituendis tam varie multipliciterque iis excerptis libellis quasi elementariis per saecula esse usos, ut eorum primigenia ipsa compages conformatioque tempore paulatim mutata atque magis magisque corrupta sit. Cum res igitur ita sit, stemma quidem codicum eas omnes recensiones complectens perficere velle est, ut proverbio illo utar, oleum et operam perdere, quod facile perspicitur ex eo quod et Goetzius, qua prudentia vir ille doctissimus fuit, coactus est, ut, cum tertium Glossariorum Latinorum volumen ederet, hermeneumata Leidensia (*HL*), Amploniana (*HA*), Monacensia (*HM*), Einsidlensia (*HE*), Montepessulana (*HMp*), Vaticana (*HV*) nec non ea, quae Stephano ascribuntur, inter se discerneret atque separatim exscriberet.[8] Nunc autem, ut in medio quaestio

6. Cf. Keil 374 sq.
7. Cf. Re, s.v. ‚Dositheus' V 2, 1607.
8. Cf. G. Goetz, Corpus Glossariorum Latinorum III, Lipsiae 1892.

ponatur, quibus argumentis haec interpretamenta contexantur, mihi in primis est animadvertendum, quod haud minimi momenti esse videtur, alia ex iis tantum glossarium ad litterarum ordinem digestum et lexicum ad capitula rerum dispositum continere, alia vero glossarium, lexicum et colloquia sive homilias de variis vitae cotidianae horis consuetudinibusque; huc vero addendum puto, quod inter Leidensem ceterasque recensiones hoc vel maxime interest, quod Leidensis Vossianus codex cum glossarium, lexicum et colloquium, tum, ut supra exposui, multa ex variis operibus excerpta exhibet.

Leidensium autem interpretamentorum aliquot partes quidem similes, at diversae recensionis disiecta membra tradidit primo codex Parisinus Lat. numero 6503 distinctus, qui illius Tractatus ad manumissiones pertinentis fragmentum una cum fabulis Aesopiis continet,[9] deinde Scaligeri apographum, id est codex Leidensis 61, qui non solum illud Tractatus fragmentum quod est in codice Parisino, sed etiam illius saevae de parricidis legis frustulum exhibet,[10] denique Stephani hermeneumata, quae Adriani Sententias nonnullis omissis, glossaria duo, totidem numero colloquia, ceteraque scripta, de quibus infra loquar, amplectuntur.[11]

Itaque cum Goetzius et Krumbacherus accurate ac subtiliter disseruissent, qua necessitudine quibusque vinculis hi mss. inter se cohaererent,[12] et conclusissent Stephani recensionem, Parisinum codicem apographumque Scaligeranum ad textum interpretamentorum Leidensium emendandum parum pertinere, equidem has quaestiones silentio transeundas putavi, praesertim cum in hac hermeneumaton editione conficienda propositum mihi praecipuum fuisset, ut recensionis plenioris

9. v. Goetz 94, 1–103, 7.
10. v. Goetz 102, 8–108.
11. v. Goetz 347–390.
12. Cf. Goetz VII–XVII et K. Krumbacher, De codicibus quibus Interpretamenta Pseudodositheana nobis tradita sunt, München 1883, 1–68.

Leidensis codices tantummodo recenserem; qui vero quattuor sunt, primo Leidensis Vossianus, qui inter omnes eiusdem familiae optimum locum obtinet, tum Sangallensis, denique Monacensis et Harleianus.

Nunc autem restat ut dicam me rationem in edendis excerptis Pseudodosithei a viris doctis adhibitam non esse secutum; Boeckingius enim codicibus *LS*, interpretamentis Stephani, Parisino codice, apographo Scaligerano est nixus,[13] Goetzius autem in textu codicem *L* exscribendum, in apparatu librorum *SHM* lectiones exprimendas curavit,[14] etiamque insuper Hausrathius et Getzlaffius, optime de fabellarum Aesopiarum historia meriti, in illis tamen edendis Parisini codicis lectiones saepissime usurpaverunt.[15] Ne rem in serum traham, hermeneumaton Leidensium omnium aut singularum eorum partium editores in eo reprehenderim, quod et Stephanum et Leidensem recensionem et Parisinum codicem promiscue ac temere adhibuerunt. Nam, ut exemplo utar, cum quaedam recensionis Leidensis fabulae Aesopiae et in Parisino codice eaedem inveniantur, attamen non est praetereundum, quod saepissime inter se plurimum differunt, ita ut mihi satis dubium videatur alterane recensio ad alteram sanandam supplendamve adhiberi possit. Quamquam hic praecipue animadvertendum puto me his signis ( ) inusitatis usum recensionum similium sectiones nonnumquam circumsaepsisse atque recensionis Leidensis textui ob hanc causam tantummodo admiscuisse, ut simul eas discernerem et efficerem, ut Graeca vel Latina interpretatio ex tempore admodum lacunosa quam optime intellegeretur.

Tempus vero est ut ad reliqua pergam, quibus argumentis libri *LSHM* contexantur, quibusque vinculis quaque ratione et necessitudine ipsi inter se cohaereant.

13. Cf. Boecking VIII sq.
14. Cf. Goetz 3–71.
15. Cf. A. Hausrath, Corpus Fabularum Aesopicarum I 2, Lipsiae 1959, 120–129 et E. Getzlaff, Quaestiones Babrianae et Pseudodositheanae, Bonnae 1907.

Leidensis Vossianvs Gr. Q. 7.

Hic manuscriptus foliis 42 membranaceis constat, quorum 3r–39v Pseudodosithei hermeneumata occupant. Singularum paginarum argumenta in quattuor columnas sic distributa sunt, ut prima et tertia lemmata Graeca uncialibus litteris exarata, secunda et quarta Latinas voces minusculis litteris scriptas exhibeant. Ms. *L* descriptus ex codice videtur, cuius singula folia XXVIII versuum fuerunt. Eiusdem manus omnia sunt, additis quibusdam adnotationibus, velut *R̄* (scil. : *Require*), inscriptionibus capitulorum rerum in marginibus iteratis compluribusque glossis adiectis. Cuius igitur libri haec sunt argumenta :

1. ff. 3r–6r *Glossarium verborum* continetur, cuius prima XXVIII lemmata adverbia sunt ad litterarum ordinem non disposita, qui continuo ad Latinorum verborum voces tantummodo pertinet. Quae ab *a* usque ad *d* litteram procedunt : f. 3r πρασσο (l. : –σω) *ago* / f. 3v εχαριζου *donabas*; post quam vocem Graecorum verborum lemmata ad litterarum ordinem disposita continuantur prorsus ab ε usque ad ω litteram : f. 3v ευκοπως *facile* / f. 6r ωμοσαν *iuraverunt.*[16]

2. ff. 6r–17v XXXVIII *Capitula rerum* occupant, quorum inscriptiones hae sunt :

1. Περὶ θεῶν	De diis[17]
2. Περὶ οὐρανοῦ	De caelo
3. Περὶ ναῶν	De aedibus / templis
4. Περὶ ἑορτῶν	De diebus festis
5. Περὶ θεωριῶν	De spectaculis
6. Περὶ ἀνέμων	De ventis
7. Περὶ μελῶν ἀνθρωπίνων	De membris humanis

16. De quibusdam verborum vocibus, quas glossarium exhibet, ut indicativus praesens *ages*, *bibes* eqs., v. G. Flammini, Prolegomeni alla Recensio Plenior degli ‚Hermeneumata Pseudodositheana', GIF 42, 1990, 10 sq. et V. Väänänen, Introduzione al Latino Volgare, trad. it., Bologna 1974², 92.

17. Hoc capitulum magnam partem edidit Valckenaer 113.

8. Περὶ φύσεως	De natura
9. Περὶ βρωμάτων	De escis
10. Περὶ ποτοῦ	De potione
11. Περὶ δευτέρας τραπέζης	De secunda mensa
12. Περὶ κρέως	De carne
13. Περὶ λαχάνων	De oleribus
14. Περὶ ἰχθύων	De piscibus
15. Περὶ ὀρνέων	De avibus
16. Περὶ τετραπόδων	De quadrupedibus
17. Περὶ ἑρπετῶν	De serpentibus
18. Περὶ οἰκήσεως	De habitatione
19. Περὶ πόλεων	De civitatibus
20. Περὶ ἐνδομενίας	De supellectili
21. Περὶ ἱματίων	De veste
22. Περὶ χρωμάτων	De coloribus
23. Περὶ χρυσέων	De aureis
24. Περὶ ἀργυρέων	De argenteis
25. Περὶ χαλκέων	De aereis
26. Περὶ σιδηρέων	De ferro
27. Περὶ ὀστρακίνων	De fictilibus
28. Περὶ σκυτίνων	De pellibus
29. Περὶ φιλοπονιῶν	De studiis
30. Περὶ τεχνιτῶν	De artificibus
31. Περὶ δένδρων	De arboribus
32. Περὶ γεωργίας	De agricultura
33. Περὶ στρατιᾶς	De militia
34. Περὶ ἀρχόντων	De magistratibus
35. Περὶ συγγενείας	De cognatione
36. Περὶ ναυτιλίας	De navigatione
37. Περὶ ἰατρικῆς	De medicina
38. Περὶ ζωδίων ιβ'	De signis XII

Hic autem operae pretium est commemorare a codice *L* additamenta glossematica aliquot exhiberi, quae eiusdem recensionis ceteri libri omiserunt :

f. 7r ναοί	aedes / templa
f. 7v θύτης	popinarius / aruspex
f. 7v εὐχή	votum / oratio
f. 8r παῖς	infans / puer
f. 9r ἀγκύλαι	concavae / popl<it>es
f. 13r χώνη	infidibulum / traiectorium
f. 13r καρπόδεσμος	fasciolae / articlare

f. 13v περιαυχένιον	liliolum / liliocatena
f. 13v κοχλιῶρυξ	ligula / linguella
f. 14r δρέπανον	falx / runcilio
f. 14r ἄμμη	rutrum / marra
f. 14r μοχλός	vectis / serratorium
f. 14r ὀβελίσκος	veru / subula
f. 14r κνημῖδες	ocreae / tibiales
f. 14v βῖκος	fidelia / doliolum
f. 14v ἡνίαι	habenae / retinacula
f. 14v διφθέραι	membranae / pelles
f. 15r μαθηταί	discentes / discipuli
f. 15r διόρθωσις	emendatio / correctio
f. 15r κοπεύς	malleator / incisor
f. 15r ἀκονήτης	cotiarius / samiator
f. 15v μυρίκη	tamaricium / myrice
f. 15v βάτος	sentis / rubus
f. 15v βουνός	acervus / collis
f. 16r στιβή	stipa / bolumaca
f. 17r κύματα	fluctus / undae
f. 17r κλύδων	unda / dilutio
f. 17r σύντονον	validum / non remissum

Huc addendum puto, quod unus ms. *L* in capitulo, quod *De supellectili* inscribitur, glossam palaeotheodiscam *bettibret* exhibet : f. 12v ονηλατον (l. : ἐνή–) *sponda bettibret*, atque in capitulo, quod *De agricultura* inscribitur, glossam *tittiri*, quae medii aevi additamentum videtur : f. 16r γιγαρτον *tittiri granillum*.

3. ff. 17v–21v *Divi Adriani sententiae* occupant, quas ad ius civile pertinentes ipse princeps dixit, epistulaque eiusdem ad matrem et saeva lex illa, quam antiqui in parricidas statuerunt; quae argumenta, si undecimam duodecimamque sententiam atque epistulam excipias, Stephani quoque recensio continet (cf. Goetzius *CGL* 3, 387, 10–390, 33). Subiungendum autem videtur de parricidis legis interpretationem Graecam tantummodo, eamque cum Stephani interpretamentis conspirantem, ab exemplari Scaligerano esse servatam (cf. Goetzius *l.c.* p. 108). Mihi ad postremum in luce collocandum videtur nonnullas sententias adnotationibus ad multiplices et iuridicas quaestiones pertinentibus

praeditas Cuiacium quidem primum evulgavisse,[18] sed Goldastum codice Sangallensi nixum hermeneumaton hanc partem universam edidisse,[19] adiuncto vero, ut Boeckingius in editione sua hunc reprehenderet, quod iis edendis parum diligenter incubuisset.[20]

4. ff. 21v–26r Aesopiae fabulae, omissis inscriptionibus Graecis, tantum his titulis Latinis ornatae occupant: 1. *De cervo*; 2. *De mure*; 3. *De muribus et mustelis*; 4. *De patre familias*; 5. *De cattuna*; 6. *De leone*; 7. *De infirmo*; 8. *De cornice*; 9. *De corvo*; 10. *De puero*; 11. *De cane*; 12. *De rana*; 13. *De asino et lupo*; 14. *De tauro*; 15. *De homine et leone*; 16. *De culice*;[21] 17. *De formica*; 18. *De mure rustico et urbano*; quos vero apologos praeter decimum sextum Parisinus quoque ille codex interpretatione Latina Graecam antecedente atque alio ordine extante servavit,[22] ut hac concordantium locorum tabella facile ostendi potest: L1 = P1; L2 = P2; L3 = P7; L4 = P8; L5 = P9; L6 = P11; L7 = P12; L8 = P10; L9 = P3; L10 = P4; L11 = P5; L12 = P6; L13 = P13; L14 = P14; L15 = P15; L17 = P17; L18 = P18. Getzlaffius autem, cum erudite inspexisset, quibus ex fontibus hae fabellae manarent, et apologum, qui *De patre familias* inscribitur, et eum, qui *De asino et lupo*, adseveravit a Pseudodositheo tantummodo esse traditos. De prioribus autem fabularum editionibus

18. Cf. Cuiacius XIV 33; XXI 5–7; 9–10.

19. Cf. M. H. Goldastus, Dosithei magistri liber tertius continens Divi Adriani Imp. sententias et epistolas, exc. P. de la Roviere 1601.

20. v. Boecking XI, n. 3.

21. Fabula, quae *De culice* inscribitur, a Parisino Latino 6503 tradita non est.

22. Aesopicas recensionis Parisinae fabulas edidit A. M. Boucherie, Ἑρμηνεύματα καὶ καθημερινὴ ὁμιλία de Julius Pollux, Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque nationale et autres bibliothèques 23, 2, 1872, 501 sqq.; eiusdem v. praeterea Note additionelle sur les ἑρμηνεύματα et la καθημερινὴ ὁμιλία de Julius Pollux, ibid. 27, 2, 1879, 457–475.

illud admonendum puto, e codice Leidensi primam cum duabus ultimis Valckenaerium, codicibus *LP* nixum Getzlaffium praeter quartam decimamque tertiam ceteras edidisse, Hausrathium denique iisdem testimoniis usum, omissa decima septima decimaque octava, quippe quae e Babrio fere ad verbum haustae essent, textum tantummodo Graecum critice instruendum curavisse; huc mihi est curae addere, quod Boeckingius tantum codicem *L* adhibuit, cum liber *P* nondum esset repertus.

5. ff. 26r–31v *Tractatus de manumissionibus* sive disputatio forensis continetur, quam omisso initio diversae recensionis exemplar Scaligeranum numero 61 distinctum tradidit (ff. 92r–95r), quocum codex Parisinus artissimo vinculo consonat (f. 4va *Iuris civilis* δικαιου πολιτικου – *a libertis* απεληυθερων = Scalig. ff. 92v–92r; cf. Goetzius *l.c.* 102, 8–103, 7 / 103, 8–108, 4). Praetereundum autem puto, quid philologi deinceps de iurisperito exquirendo senserint, ex quo fragmentum esset excerptum; alius enim alia usus ratione Ulpiano, Gaio,[23] Paulo,[24] Pomponio,[25] Marciano,[26] Cervidio Scaevolae[27] id adsignandum confessus est. Equidem, ne plura de hac quaestione dicam, tantum hoc adfirmaverim, Tractatum iuridicum exeuntis secundi p. Chr. n. saeculi esse, praesertim cum semel hic iuris interpretes Proculus et Octavenus, semel illic Neratius Priscus et Iulianus nominentur. De prioribus autem editionibus hoc satis sit explanare : Pithoeus editionem principem huius tractatus, in qua

23. v. H. E. Dirksen, Die römisch-rechtlichen Quellen des Magister Dositheus, Hinterlassene Schriften II, Leipzig 1871, 396.

24. K. Lachmann, Versuch über Dositheus, Kleinere Schriften zur Classischen Philologie II, Berlin 1876, 214 sq.

25. v. M. Voigt, Die Lehre vom ius naturale, aequum et bonum und ius gentium der Römer, Leipzig 1856, 617.

26. F. G. Savagnone, L'autore del cosidetto frammento dositeano, Annali del Circolo Giuridico di Palermo 27, 1896, 77 sq.

27. Cf. Ph. H. Huschke, Iurisprudentiae anteiustinianae quae supersunt, Lipsiae 1879^4, 422 sq.

sola verba Latina exhibentur, ex codice Parisino curavit,[28] non ex Scaligeri apographo, ut falso quidem Boeckingius significavit;[29] eundem deinde Matthias Roever Leidensi codice et apographo Scaligeri nixus edidit;[30] editores denique qui secuti sunt, iique tantum in contextum Latinum curam laboremque impendentes, alii Pithoei, alii Roeveri, alii Boeckingii editionem repetierunt.[31]

6. ff. 31v–33r Hygini Genealogiam vel potius ipsius frustula continent. Aliquot enim capitula in Genealogia desiderari, facillime ex eo ostendi potest, quod plurimae enarrationes interciderunt ex iis fictis fabulis, quae tamen in praefatione percensentur (ff. 31v–32r). Tantum vero post capitulorum indicem exhibentur, quae ad Musas, ad deorum XII nomina, ad VII zodiaci dies, ad signorum XII nomina cum eorum enarratione nec non, lacuna usque ad verba extrema fabulae de Tantalo interposita, ad Philyram et Ulixem pertinent. Continuo altera lacuna patescit, quae latius se pandit. Genealogiae autem has miseras reliquias primum Augustinus van Staveren edidit,[32] tum non satis diligenter Schmidtius,[33] denique quinquaginta annos post Rose, qui

28. P. Pithou, Fragmenta quaedam Papiniani Pauli Ulpiani Gaii [...], Lutetiae, ex off. Rob. Stephani, 1573, 113–115.

29. Cf. Boecking XXIV; de hac quaestione v. Goetz XIII.

30. M. Roever, Fragmentum veteris Iurisconsulti de iuris speciebus et de manumissionibus, quod servavit Dositheus magister [...], Lugduni Batavorum 1739.

31. Cf. F. A. Schilling, Dissertatio critica de fragm. iur. Rom. Dositheano, Lipsiae 1819; P. Krueger, Collect. lib. iur. anteiust. II, Berolini 1878, 149–157; Huschke 422–432; E. Seckel-B. Kuebler, Iurisprudentiae Anteiustinianae reliquiae I, Lipsiae 1908, 419–428; J. Baviera, Fragmentum incerti auctoris quod vulgo Dositheanum dicitur, FIRA, Florentiae 1940, 617–621; P. F. Girard-F. Senn, Textes de Droit Romain I, Toulouse 1967, 464–468.

32. A. van Staveren, Hygini genealogia e Dositheo, Misc. Obss. Critt. IX, 1738, 413–424.

33. M. Schmidt, Hygini Fabulae, Jenae 1872, de cuius editione hanc censuram effatur H. I. Rose, Hygini Fabulae, Lugduni Batavo-

contextui Graeco tantummodo vacavit, quod, ut eius fere verbis utar, interpretatio Latina ex Graecis non optime facta esset.[34]

7. ff. 33r–37v *de bello Troiano epitome* vel dicam Iliadis compendium occupat, quod primum a Valckenaerio editum[35] postea Rose Hygino adscribendum censuit.[36] Enarratio autem a libro Iliadis septimo, id est a libro littera H distincto, his verbis lacunosa incipit: *** Ἕλενος ὃς πάντοτε μαντικῆς πίστιν τοῖς Τρωσὶν παρεῖχεν / *Helenus qui semper divinitatis fidem Troianis praestabat*; dehinc autem usque ad extremum librum progreditur, qui ampla lacuna afficitur.

8. ff. 37v–39r *Cotidiana Conversatio* occupat, quae inscriptione *Incipit hermeneumata* jδ÷ *Libri XII* praedita est, cuius signa jδ÷ legenda esse *id est* recte censuit Lachmannus.[37] Quae vero verba haud dubie magnam quaestionem proponunt, ex quot libris vel partibus olim interpretamenta Pseudodositheana constiterint, quaeque igitur Leidensis recensionis antiquissima compages conformatioque fuerit. Nam, cum XII nota duodecimum librum significet atque VIII tantum libri in codice enumerentur, id est glossarium verborum ad litterarum ordinem digestum, lexicon ad rerum capitula ordinatum, Adriani Sententiae, Aesopiae Fabulae, Tractatus iuridicus, Hygini Genealogia, Iliadis brevis enarratio et Cotidiana Conversatio,[38] subducta ratione

rum 1967³; XIX: „Mauricius Schmidt [...], de quo nolim acerbius dicere, ne videar eius ruinis velle me altiorem tollere; sed mihi quidem videtur, dum omnia studet emendare, pleraque corrupisse. ego num melius fecerim, lectoribus iudicandum relinquo".

34. v. Rose 172.

35. Valckenaer 116 sqq.; hoc loco pretium operae est commemorare O. Jahn, Griechische Bilderchroniken, Bonn 1873, 102–111: et 121–122, qui Boeckingii epitomes editionem repetiit.

36. H. I. Rose, An unrecognized Fragment of Hyginus, CQ 23, 1929, 96–99.

37. v. Lachmann 198, n. 3.

38. De ceteris diversarum recensionum colloquiis v. Flammini 30.

fit ut IV libri desiderentur, quos Goetzius inter Hygini Genealogiae lacunam illam atque Iliadis epitomes initium ipsum quoque lacunosum interponendos putaverat.[39] Idem autem philologus eos quattuor tractatus, qui desiderantur, id est *Niciarii interrogationes et responsiones*, *Carfilidis interrogationes et responsa*,[40] *Responsa sapientum*, *Praecepta in Delphis ab Apolline in columna scripta*, apud Stephani recensionem invenit (cf. *CGL* 3, pp. 384–87) atque iisdem his lacunam codicis Leidensis supplendam suspicatus est. Equidem ab hac sententia quamvis subtiliter acuteque elucubrata ob hanc rem dissentio, quod, quamvis nonnulla Leidensium interpretamentorum argumenta eadem atque illa Stephani sint, attamen ad redintegrandum Leidensem codicem nullo modo Stephani recensionem valere iudico : etsi concesserim libros, qui a Stephano recensioneque Leidensi traditi sunt, alicui auxilio nobis fore, ut animo fingere possimus, quae compages conformatioque primitus interpretamentis Pseudodositheanis fuerit, quorum membra simili ratione ac Pentheus ille fabulosus, ut exemplo ficto utar, dilacerata videantur. Ceterum cum non modo lexici praefatio glossarii mentionem habeat, sed etiam Adriani Sententiae duos priores libros, id est glossarium et lexicon, memorent, hermeneumaton Leidensium argumenta in tres libros distribuenda puto; primus enim glossarium, alter lexicon, tertius sex reliquas partes continet. Itaque quae Goetzius coniecit, lacunam inter Hygini Genealogiam compendiumque Iliadis illis recensionis Stephani quattuor libris explendam esse, mihi nulli subsidio esse potuerunt, ut recensionem Leidensem proferrem augeremque.

39. v. Goetz XVI.

40. Interrogationes et responsa Carfilidis, cuius mentio tantum hic occurrit, B. E. Perry, Secundus. The Silent Philosopher, New York 1964, 5, cum Secundo illo neopythagoricae sectae sectatore coniungit. De hac re v. etiam Flammini 29.

Sangallensis 902

Hic ms., cuius Graecus textus uncialibus litteris, Latinus minusculis exaratus est, exeuntis noni ineuntisque decimi saec. est. Argumenta quae continet, haec sunt:

1. ff. 2r–19v *Ars grammatica Dosithei magistri.*

2. ff. 19v–27v *Hermeneumata Pseudodositheana*, quae hac ratione tradita sunt: a) ff. 19v–23v *Capitula rerum*; b) ff. 23v–27r *Divi Adriani sententiae*; c) ff. 27r–27v *Aesopiarum fabularum praefatio*, quam prima verba fabulae sequuntur, quae *De cervo* inscribitur.[41]

Quamquam ms. *S* ex aliqua parte, ut facile intellegi potest, eandem rerum materiam atque codex *L* exhibet, distincte tamen dicendum censeo primas Sangallensis glossas, id est μοσχτομος (1.: μοσχο –) *victimarius*, μάντις *divinus*, προφήτης *ariolus* e.q.s., capitulo subsignatas, quod *De officiis* inscribitur -quem titulum ceterum codex *L* non testatur-, eisdem respondere, quae apud *L* codicem in tertium capitulum congregatae sint, quod Περὶ ναῶν *De aedibus / templis* inscribitur. Quod autem ad ceteras capitulorum inscriptiones spectat, mss. *LS* inter se differunt, quod *S* omissa Graeca modo tantum Latinam dictionem exhibet (*De natura*: cf. 8*L*), modo tantum Graecam omissa Latina (Περὶ σκυτίνων: cf. 28*L*; Περὶ φιλοπονιῶν: cf. 29*L*; Περὶ γεωργίας: cf. 32*L*; Περὶ στρατιᾶς: cf. 33*L*; Περὶ ἀρχόντων: cf. 34*L*; Περὶ συγγενείας: cf. 35*L*; Περὶ ναυτιλίας: cf. 36*L*; Περὶ ἰατρικῆς: cf. 37*L*; Περὶ ζωδίων: cf. 38*L*); huc accedit, quod *S* has diversas lectiones exhibet: *De ferreis*: 26*L* *De ferro*; *De vestimentis*: 21*L* *De veste*; *De artificiis*: 30*L* *De artificibus.* Praeterea in lexico non modo in Sangallensi additamenta glossematica codicis Leidensis, quae supra percensuimus, sed etiam hae glossae desunt, quas Leidensis habet:

41. De ceteris argumentis, quae liber Sangallensis exhibet, v. G. Scherrer, Verzeichnis der Handschriften der Stiftsbibliothek von St. Gallen, Halle 1875, 316.

L		*S*
f. 8r : οὖλαι	crispi	f. 20r : crispi (post τρίχες capilli)
f. 11r : κύκνος	ansar / olor	desunt
f. 15v : φακῆ	lenticla	f. 23r : φακε (l. : – κῆ) pisum
πίσος	pisum	
f. 15v : ὕπατοι	consules	desunt
f. 16r : ἡγεμών	dux	f. 23r : ἡγεμών praefectus
ἔπαρχος	praefectus	

Ad summam praeter has differentjas ms. *S* non exhibet capituli primi et secundi glossas, id est eorum capitulorum quae Περὶ θεῶν *De diis* et Περὶ οὐρανοῦ *De caelo* inscribuntur, atque eas quoque, quae in capitulum tertium congregatae, quod inscribitur Περὶ ναῶν *De aedibus / templis*, inter initium huius et verba θύτης *poponarius / aruspex* comprehenduntur. Sangallensis autem interpretamenta, additis Adriani sententiis, usque ad fabulae exordium procedunt, quae *De cervo* inscribitur (f. 27v = *L* f. 22v) : Ἔλαφος εὐμεγέθης ὥρᾳ θέρους δίψῃ λειπόμενος παραγίνεται ἐπί τινα πηγὴν διαυγῆ καὶ βαθεῖαν, καὶ πιὼν ὅσον ἤθελεν, προσεῖχεν τῇ τοῦ σώματος <ἰδέᾳ> καὶ μάλιστα μὲν ἐπήνει τὴν φύσιν τῶν κεράτων ἀνατεταμένων τε εἰς πολὺν ἀέρα ***

Cervus bonae magnitudinis aestivo tempore siti deficiens advenit ad quendam fontem limpidum et altum, et cum bibisset quantum voluerat, adtendebat a<d> corpori<s> e<ffigiem> et maxime quidem laudabat naturam cornuorum excelsissimam in multo aere ***

Ex iis argumentis quae protuli iam liquere credo codices *LS* non ex eodem apographo manavisse; nihilominus duobus locis ita consentiunt, ut ab uno archetypo descendisse videantur; hoc enim persuadent hae glossarum inversiones, quae etiam ceteris recensionis Leidensis testimoniis communes sunt : σίελος *medulla* μυελός *saliva* in capitulo quod *De membris humanis* inscribitur; τοξότης *capricornus* αἰγοκέρως *sagittarius* in capitulo extremo lexici, quod *De signis* inscribitur.

Harleianvs 5642[42]

Ms. *H* eiusdem fere aetatis ac Sangallensis est. Argumenta quae continet, ut in Leidensi, in quattuor columnas distributa sunt. Haec sunt:

1. ff. 1r–4r verborum glossarium inscriptione *De oratore* praeditum occupat, quod voces Graecas in litteras notasque Latinas translatas et Latinas voces ad litterarum ordinem digestas exhibet. Cumque hoc glossarium Leidensi simile sit (cf. e.g. ff. 1r–2r *prasso ago prassis agis* [· · ·] *categoresis accusabis* [· · ·] *pino bibo* [· · ·] *ado canto adis cantas* [· · ·] *carizome dono* e.q.s.), attamen animadvertendum puto a diversa recensione profluxisse.

2. ff. 4r–9r grammaticas exercitationes continent; a f. 4r autem usque ad extremum Graecae voces litteras notasque suas habent.

3. ff. 9r–23v ars grammatica occupat, quae inscriptione *Incipit Grammatica Dosithei* praedita est.

4. ff. 24r–25v capitula rerum continent, quae ab undecima glossa ἄρουρα *seges* ad capitulum pertinente, quod Περὶ γεωργίας *De agricultura* (cf. 32*L*) inscribitur, initium sumunt; capitula autem sequuntur, quae in Leidensi numeris 33–38 signavimus, quorum 34–38 capp. omissis, ut in Sangallensi, Latinis inscriptionibus, Graecas tantummodo servant.

5. ff. 25v–28r Divi Adriani sententiae occupant, quae ante legem de parricidis lacunam exhibent, qua imperatoris rescripta 11–13 maximamque partem ipsius epistula ad matrem interciderunt (cf. *L* f. 20r υἱοῦ αὐτῆς *filii sui* – f. 21v ἵνα τάχιον *ut celerius* = *S* ff. 26r–26v).

42. De hoc ms. v. K. Krumbacher, Eine neue Handschrift der Grammatik des Dositheus und der Interpretamenta Leidensia (Codex Harleianus 5642), Aus d. Sitzb. d. philos.-philol. u. hist. Cl. d. kön. bayer. Akad. d. Wiss., Heft 2, 1883, 193–203 et Eine neuer Codex der Grammatik des Dositheus, RhM 39, 1884, 348–358.

6. ff. 28r–29r Aesopiarum fabularum praefatio occupat (= *LS* νῦν οὖν *nunc ergo* – μύθου ἄρχομαι ἀπὸ ἐλάφου *fabulam incipiam de cervo*); in Harleiano vero desideratur exordium huius fabulae, quod Sangallensis exhibet.

7. ff. 29r–33v : Περὶ ὁμιλίας καθημερινῆς *De sermone cotidiano* (cf. Goetzius *l.c.* pp. 108–116 = pp. 638–644). Hoc colloquium diversae recensionis est.

8. f. 34r exercitatio grammatica de accentu tractans occupat (cf. *GL* 7, 379, 8–830, 1).

9. ff. 35r–39r Dosithei grammatica, quae illius partis appendix est, quam ff. 9r–23v continent.

10. ff. 39r–47r capitula rerum continent, quae initium repetunt, ut in Sangallensi, a glossis μοσχοτόμος *victimarius* μάντις *divinus* e.q.s., capitulo illi subsignatis, quod *De officiis* inscribitur (= 3 L Περὶ ναῶν *De aedibus / templis*). Ceterorum autem capitulorum glossae quae sequuntur (= *L* 4. Περὶ ἑορτῶν *De diebus festis* – L 31. Περὶ δένδρων *De arboribus*) eaedem sunt ac codicum *LS*, adiuncto vero, ut alia capitula omisso Latino titulo Graecum vel omisso Graeco Latinum tantummodo exhibeant (f. 41r Περὶ βρωμάτων; f. 41v Περὶ ποτοῦ; f. 42r Περὶ κρέως, *ibid.* Περὶ λαχάνων; f. 42v Περὶ ἰχθύων; f. 43v Περὶ ἑρπετῶν; f. 44r Περὶ πόλεων; f. 44v Περὶ ἱματίων; f. 46r Περὶ σκυτίνων, *ibid.* Περὶ φιλοπονιῶν; f. 45r *De coloribus*), deinde alia cum Sangallensi consentiant (f. 45v *De ferreis*; f. 46v *De artificiis*), denique alia vel a Leidensi vel a Sangallensi discrepantes lectiones testentur (f. 42v Περὶ ὀρνέων *Nomina avium* : *LS* [· · ·] *De avibus*; f. 43v Περί οἰκήσεως *De aedificiis* : *LS* [· · ·] *De habitatione*). Praeterea animadvertendum puto post capitulum, quod Περὶ δένδρων *De arboribus* (= *L* 31) inscribitur, in f. 47r esse traditum illud, quod Περὶ γεωργίας *De agricultura* (= *L* 32) inscribitur, cum primis decem glossis ἀγρός *ager* – κοιλάδες (ms. κοιλεθες = *S*) *valles*, quas undecima ἄρουρα *seges* ceteraeque eiusdem capituli alio loco codicis (f. 24r), ut supra explanavimus, sequuntur.

Itaque ex interpretamentorum ordine, quae codex Harleianus exhibet, maximeque ex iis lectionibus, quae codices

HS devinciunt, hac ratione mihi concludendum videtur, cum mss. *HS* ducti ab eodem apographo essent, illud tamen tum ipsum non fuisse iam integrum, cum ab eo Harleianus describeretur -ceterum haud dubie id mutilum tum ipsum fuisse videtur, cum Sangallensis ipse dehinc describeretur, ut facile ex lacuna intelligi potest, qua libri secundi praefatio nec non glossae Περὶ θεῶν *De diis* – θύτης *poponarius aruspex* a Leidensi traditae interciderunt (cf. Goetzius *l.c.* pp. 8, 20–10, 4)–; in apographo deinde desiderata nonnulla alia folia esse, lacuna Harleiani persuadet, qua tres Adriani Sententiae ipsiusque epistula ad matrem exciderunt, quas vero Sangallensis continet. Praeterea apographum discerptum quoque esse, ex eo facile ostendi potest, quod Harleianus ordinem capitulorum perturbatum exhibet. Itaque ex iis argumentis quae protuli, haud absurdum inferre videtur ea, quae a Sangallensi tradita sunt, paulo antiquiora esse quam quae ab Harleiano.

Monacensis 601[43]

Hic ms. quoque, codicibus *SH* fere aequalis, hermeneumata Pseudodositheana in quattuor columnas distributa tradidit.

1. ff. 59r–61r capitula rerum occupant, quae a glossis ἄρουρα *seges* incipiunt et usque ad capitulum procedunt, quod omissa interpretatione Latina Περὶ ζωδίων (= 38 *L*) inscribitur. Pluribus igitur verbis mihi non opus esse liquet, ut probem codicem *M* eadem capitula atque *H* in ff. 24r–25v continere, sed non ea, quae ille liber in ff. 39v–47r exhibeat. Hos autem codices ab eodem apographo esse ductos, ex eo demonstrari potest, quod in utrisque, ut etiam in Sangallensi, Latinae capitulorum 34–38 inscriptiones omissae sunt atque ea glossa χιλίαρχος (*M* f. 59v = *H* f. 24r),

43. De hoc ms. v. praesertim G. Loewe, Prodromus corporis glossariorum Latinorum, Lipsiae 1876, 207 et Keil 366.

quae illius capituli est, quod Περὶ στρατιᾶς (= 33 L) inscribitur, sine Latina interpretatione extat- quae vero lacuna ad Sangallensem quoque pertinet-, cum Leidensis χιλίαρχος *tribunus* habeat (f. 16r). Quod igitur ms. *M* ea rerum capitula non servavit, quae liber *H*, argumento est iam nonnullis aliis foliis mutilatum illud apographum fuisse, ex quo ipse describeretur.


2. ff. 61r–66v Adriani Sententias cum Aesopiarum Fabularum praefatione continent. Huc addendum puto, quod Monacensis quidem omnia Adriani rescripta eadem ratione ac codices *LS* exhibet, sed ipsius epistula ad matrem post illa verba ἵνα τάχιον *ut celerius* (f. 66v) praecisa est, cum in Harleiano, ut edocuimus, lacuna ad Sententias quoque 11–13 pertineat.

3. ff. 67r–82v : ex Dosithei Grammatica excerpta.

Tempus est iam ut ad rationem concludendam pergam. Cum et ms. Leidensis hermeneumata Pseudodositheana, quae in tres libros divisimus, et mss. *SHM* eorum partem plus minusve amplam grammaticamque Dosithei tradiderint, me non longissime a vero abesse credo, si pro certo ponam non solum interpretamenta, sed etiam artem grammaticam in illo archetypo scriptam esse, ex quo duo apographa nunc deperdita ducta sint, quae litteris α et β signavimus. Quae autem argumenta haec exemplaria continuerint, facile expedire iis possumus, quae mss. *LSHM* exhibent; nam in apographum α hermeneumata tantummodo sunt transscripta, in alterum pars eorum atque Dosithei grammatica, quam unus codex *S*, qui inter ceteros optimum locum ad eam comparandam obtinet, integram restituit. Ex α exemplari igitur Leidensis ductus est, ex β mss. *SHM*, qui sunt ramus alter familiae Leidensis. Cum vero in mss. *SHM* illa hermeneumaton pars alia atque alia ratione tradita sit, si consideres quidem, quot sententiae Adriani Harleianus adversus Sangallensem, quotque capitula rerum Monacensis adversus Sangallensem et Harleianum exhibeat, quoque denique ordine perturbato ipsa in Harleiano servata sint, colligendum puto apographo β fortunam adversam variosque casus

contigisse, quippe quod deperditis etiam atque etiam nonnullis foliis non eandem formam faciemque iam exhiberet, quotiens subinde ex eo singuli mss. *SHM* describerentur.

Has tandem necessitudines vicissitudinesque liceat subiuncto stemmate depingere.



Restat iam solum ut de rationibus quas in textu constituendo secutus sim pauca commemorem. Primum omnium in Adriani Sententiis, in Fabulis et in Tractatu de manumissionibus saepe haec signa ( ) inusitata adhibui, quibus diversarum recensionum particulas inclusi, non textus integrandi gratia, sed potius ut subicerem, quomodo recensionis Leidensis loci corrupti a Stephano vel a fragmento Parisino traditi essent.

In apparatu autem instruendo silentio plerumque transii quae vocalibus aut diphthongis scribendis aut litterarum permutationibus peccata sunt. Hoc vero loco paucis exemplis Leidensis errores tantummodo commemorandos puto :

1. υ pro ι : f. 8r ηλυκια; f. 13r χυτων; f. 15r δυδασκαλια.
   ι pro υ : f. 7r ουρανοι; f. 10v κρομια; f. 17r τραιμα.
2. ι pro ει : f. 3r μιζον, πρασσις; f. 7v ποσιδωνια, νηστια, δρομις.
3. υ pro οι : f. 3r λυπα; f. 5r ρυζος.
   οι pro υ : f. 3r ποινθανεται; f. 10r καροια.

4. ε pro αι : f. 4v ξενι; f. 17r τριτεον, τεταρτεον.
αι pro ε : f. 3r επρασσεται, πιεται; f. 4v ουδεποται.
αι pro η : f. 12v κωμαι; f. 13v αιθμος; f. 15v ελαται.
αι pro ι : f. 11r κωλαιοι (l. : κολίοι).
5. ο pro ω : f. 3r πραξοσιν: f. 14v γλοσσιδες.
ω pro ο : f. 3r πωμπη; f. 9v περιφωρα; f. 16v υπατικως.
ου pro ω : f. 4r θυρουρος; f. 17v ουδιον (l. : ᾠδεῖον).
6. ε pro η : f. 10r κρετικον; f. 10v πεγανον, εδυοσμον, μινθε.
η pro ε : f. 5v ψιχης; f. 11v ληων; πηπλος.
η pro ι : f. 3r εξαυτης.
ι pro η : f. 3r πραξις, πραξι; f. 11v ιμερος.
ει pro η : f. 8r κεφαλει; f. 11v σαλπει.

Archetypum autem maiusculas olim litteras exhibuisse, haec exempla ostendunt, quibus liquet librarium Ν et Η, Α et Λ, Δ et Λ, Λ et Χ, Τ et Π, Τ et Γ, Ο et Θ, ΤΙ et Π confudisse : f. 7v παρασκευν; f. 8r πνον; f. 4v ολοκληροη; f. 15v υαν (l. : ὕλη); f. 3r τλλυ (l. : ταχύ); f. 12r καιμακες; f. 4r κατεδιψεν (l. : κατέλειψεν); f. 3r τιαλιν (l. : πάλιν); f. 6v σερατης (l. : σέραπις); f. 14r κρεατρα (l. : κρέαγρα); f. 3r ελευοεριωτερον (l. : ἐλευθε–); f. 3v εικοτιως (l. : εὐκόπως).

Quod autem ad errores scriptorios spectat, qui in textu Latino saepius occurrunt, haec exempla subicienda puto :

1. *b* pro *v* : f. 3v *cantabimus*; f. 4r *salutabit*, *nobum*, *labemus*, *solbe*;
f. 9v *olibae*; f. 10r *uba*; f. 11r *habes* (l. : *aves*).
v pro *b* : f. 8r *viga*; f. 14r *videns*.
2. *i* pro *e* : f. 6r *caelestis*, *terrestris*; f. 6v *herculis*; f. 7r *aedis*.
e pro *i* : f. 9v *panes*; f. 10v *pisces*; f. 12v *turres*; f. 17r *rates*.
i pro *u* : f. 6v *incibus*; f. 7r *matita*.

Denique, cum ad praefationis terminum pervenerim, extremum officium idque gratissimum restat, ut gratias quam maximas agam omnibus iis doctissimis viris, quorum liberalissimo consilio et auctoritate ad editionem comparandam fructus sum, praesertim professoribus clarissimis Antonino Scivoletto, Georgio Brugnoli et Carolo Santini, quos semper colet atque observabit memor gratusque discipulus.

Ex aedibus Universitatis Maceratensis mense Martio anni MCMLXXXXI / MMIII

Giuseppe Flammini

CONSPECTVS LIBRORVM

Baviera, J., Fragmentum incerti auctoris quod vulgo Dositheanum dicitur, (FIRA), Florentiae 1940, 617–621
Boecking, Ed., Dosithei Magistri Interpretamentorum Liber tertius, Bonnae 1832
Boucherie, A., Ἑρμηνεύματα καὶ καθημερινὴ ὁμιλία de Julius Pollux, Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque nationale et autres bibliothèques 23, 2, 1872, 277–613
–, Note additionelle sur les ἑρμηνεύματα et la καθημερινὴ ὁμιλία de Julius Pollux, ibid.; 27, 2, 1879, 457–475
Brugmann, O., Lateinische Etymologien, RhM 43, 1888, 399–404
Capponi, F., Ornithologia Latina, Genova 1979
Cuiacius, J., Observationum et Emendationum libri XXVIII, Venetiis 1758, XIII 31. XIV 33. XXI 5–7; 9–10
Dionisotti, A. C., From Ausonius' Schooldays? A Schoolbock and its Relatives, JRS 72, 1982, 83–125
Dirksen, H. E., Die römisch-rechtlichen Quellen des Magister Dositheus, Denkschriften der Berl. Akad. d. Wiss., philol.-hist. Kl. 2, 1857 = Hinterlassene Schriften II, Leipzig 1871, 392–411
Flammini, G., Prolegomeni alla Recensio Plenior degli ‚Hermeneumata Pseudodositheana', GIF 42, 1990, 3–43
Funck, A., Glossographische Studien, ALL 8, Leipzig 1893, 369–396
Getzlaff, E., Quaestiones Babrianae et Pseudodositheanae, Bonnae 1907
Girard, P. F.-Senn, F., Textes de Droit Romain I, Toulouse 1967, 464–468
Goetz, G., Corpus Glossariorum Latinorum, Lipsiae 1888–1923
–, Der liber glossarum, Leipzig 1893
Goldastus, M. H., Dosithei magistri liber III continens Divi Adriani Imp. sententias et epistolas, exc. P. de la Roviere 1601
Hagen, H., De Dosithei Magistri quae feruntur glossis quaestiones criticae, Bernae 1877
Hausrath, A., Untersuchungen zur Überlieferung der aesopischen Fabeln, Fleckeisens Jahrb., Suppl. XXI, 1894, 245–312
–, Fabulae Dosithei qui vocatur Interpretamentorum libro tertio insertae, Corpus Fabularum Aesopicarum I 2, Lipsiae 1959, 120–129
Heraeus, W., Die Sprache des Petronius und die Glossen, Offenbach 1899

–, Zur Kritik und Erklärung der Serviusscholien, Hermes 34, 1899, 161–173
–, Die Sprache der römischen Kinderstube, ALL 13, Leipzig 1904, 149–172
Honoré, A. M., The ‚Fragmentum Dositheanum‘, RIDA 12, 1965, 301–323
Huschke, Ph. E., Iurisprudentiae anteiustinianae quae supersunt, Lipsiae 1879[4], 422–432
Jahn, O., Griechische Bilderchroniken, Bonn 1873, 97; 102–111; 121–122
Keil, H.; Grammatici Latini VII, Leipzig 1880, 365–436
Krueger, P., Collect. lib. iur. anteiust. II, Berolini 1878, 149–157
Krumbacher, K., De codicibus quibus Interpretamenta Pseudodositheana nobis tradita sunt, München 1883, 1–68
–, Eine neue Handschrift der Grammatik des Dositheus und der Interpretamenta Leidensia (Codex Harleianus 5642), Aus d. Sitzb. d. philos.-philol. u. hist. Cl. d. kön. bayer. Akad. d. Wiss., Heft 2, 1883, 193–203
–, Ein neuer Codex der Grammatik des Dositheus, RhM 39, 1884, 348–358
Labbaeus, C., Cyrilli Philoxeni aliorumque veterum glossaria Latino-graeca et Graeco-latina [...], Lutetiae Parisiorum 1679
Lachmann, K., Versuch über Dositheus, Berlin 1837 = Kleinere Schriften zur Classischen Philologie II, Berlin 1876, 196–216
Loewe, G., Prodromus corporis glossariorum Latinorum, Lipsiae 1876, 205–209
Löfstedt, E., Syntactica. Studien und Beiträge zur historischen Syntax des Lateins II, Lund 1933 = 1956, 64
Oehler, F., Dositheus und Charisius, RhM 17, 1862, 55–65
Perry, B. E., Secundus. The Silent Philosopher, New York 1964
Pithou, P., Fragmenta quaedam Papiniani Pauli Ulpiani Gaii [...], Lutetiae, ex off. Rob. Stephani, 1573, 113–115
Roever, M., Fragmentum veteris Iurisconsulti de iuris speciebus et de manumissionibus, quod servavit Dositheus magister [...], Lugduni Batavorum 1739
Rose, H. I., Hygini Fabulae, Lugduni Batavorum 1967[3], 172–181
–, An unrecognized Fragment of Hyginus, CQ 23, 1929, 96–99
Savagnone, F. G., L'autore del cosidetto frammento dositeano, Ann. del Circolo giuridico di Palermo 27, 1896, 77–91; 201–216
Scherrer, G., Verzeichnis der Handschriften der Stiftsbibliothek von St. Gallen, Halle 1875
Schiller, A. A., ‚Alimenta‘ in the ‚Sententiae Adriani‘, Studi in onore di G. Grosso IV, Torino 1971, 401–415

–, Vindication of a repudiated Text ‚Sententiae et Epistolae Adriani', Atti del sec. Convegno Internaz. della Soc. ital. di Studi del Diritto, Firenze 1971, 717–727
Schilling, F. A., Dissertatio critica de fragm. iur. Rom. Dositheano, Lipsiae 1819
Schmidt, M., Hygini Fabulae, Jenae 1872
Seckel, E.-Kuebler, B., Iurisprudentiae Anteiustinianae reliquiae I, Lipsiae 1908, 419–428
Seek, O., Inpensae, Mörtel, ALL 4, Leipzig 1887, 421
Staveren van, A., Hygini genealogia e Dositheo, Misc. Obss. Critt. IX, 1738, 413–424
Stephanus, H., Glossaria duo e situ vetustatis eruta ad utriusque linguae cognitionem et locupletionem perutilia [...], Parisiis, ex off. Rob. Stephani, 1573, 237–305 = Goetz, G., Corpus Glossariorum Latinorum III, Lipsiae 1892, 347–390
Thielmann, Ph., Habere mit dem Infinitiv und die Entstehung des romanischen Futurums, ALL 2, Leipzig 1885, 48–89
Tolkiehn, I., Dosithei ars Grammatica, Lipsiae 1913
Väänänen, V., Introduzione al Latino Volgare, trad. it., Bologna 1974[2]
Valckenaer, J. C., De Hygini fragmento Dositheano schediasma, Misc. Obss. Critt. X, 1739, 108–123
Voigt, M., Die Lehre vom ius naturale, aequum et bonum und ius gentium der Römer, Leipzig 1856
Vulcanius, B., Thesaurus utriusque linguae [...], Lugduni Batavorum 1600
Wyss, B., Pseudo-Dositheus bei Reuchlin. Zur Basler Handschrift F VI 54, MH 27, 1970, 273–287

CONSPECTVS CODICVM

L	Codex Leidensis Vossianus Gr. Q. 7 saec. X
L_1	prima manus se ipsa corrigens
m. r.	manus recens codicis Leidensis, fortasse Salmasii
S	codex Sangallensis 902 saec. IX/X
H	codex Harleianus 5642 saec. X
M	codex Monacensis 601 saec. X

TABVLA SIGLORVM

FB	Fragmentum Bruxellense	(Goetz 3, 394–398)
FP	Fragmentum Parisinum	(Goetz 3, 94–108)
GAb	Glossae Abavus	(Goetz 4, 301–403)
GAff	Glossae Affatim	(Goetz 4, 471–581)
GAS	Glossarium Amplonianum Secundum	(Goetz 5, 259–337)
GB	Glossae Bernenses	(Goetz 3, 487–506)
GIuv	Glossae Iuvenalianae	(Goetz 5, 652–656)
GL	Glossarium Leidense	(Goetz 3, 398–421)
GLo	Glossae Loiselii	(Goetz 3, 474–487)
GN	Glossae Nominum	(Goetz 2, 563–597)
GNon	Glossae Nonii	(Goetz 5, 637–651)
GS	Glossae Stephani	(Goetz 3, 438–474)
GSc	Glossae Scaligeri	(Goetz 5, 589–614)
GSG	Glossae Servii Grammatici	(Goetz 2, 507–536)
GV	Glossae Vaticanae	(Goetz 3, 506–531)
GVerg	Glossae Vergilianae	(Goetz 4, 427–470)
HA	Hermeneumata Amploniana	(Goetz 3, 72–94)
HE	Hermeneumata Einsidlensia	(Goetz 3, 223–279)
HM	Hermeneumata Monacensia	(Goetz 3, 119–220)
HMp	Hermeneumata Montepessulana	(Goetz 3, 283–343)
HRC	Hermeneumata Reginae Christinae	(Goetz 3, 549–607)
HS	Hermeneumata Stephani	(Goetz 3, 347–390)
HSen	Hermeneumata Senensia	(Goetz 3, 542–548)
HV	Hermeneumata Vaticana	(Goetz 3, 421–438)

<Βιβλίον Α>	<Liber primus>
ἔτι πλέον	aut amplius
καὶ μεῖζον	et maius
καὶ ἐλευθεριώτερον	et liberius
καὶ πληρέστερον	et plenius
καὶ ὑπέρμεστον	et cumulatius
δαψιλέστερον γάρ	largius enim
καὶ προηλκυσμένως	et prolixius
ἄλλως	aliter
εὐθέως	statim/mox
ἐξαῦτις	continuo
παραχρῆμ<α>	protinus
πάραυτα	confestim
ἐσπουδασμένως	properantius
ὡρίμως	mature
θίξει	tactu
στιγμή	punctus
ταχύτερον	celerius
ταχύ	cito
πάλιν	iterum
ἄνωθεν	denuo
εὐκοσμία	decor
<Ἀφ> ροδίσια	Veneralia
πυνθάνεται	interrogat
πλούσιος	dives
πένης	pauper
ἀποδώσω οὖν	reddam ergo
τὰ λοιπά	cetera

20 Rufin. *Orig. in Rom.* 5, 8 quod enim nos Latini habemus ‚denuo', Graeci ἄνωθεν dicunt qui sermo utrumque significat et denuo et de superioribus [...] denuo dicimus, cum eadem quae gesta sunt, repetuntur. || **22** HM 3, 171, 58; HE 3, 239, 43; HMp 3, 295, 2; GV 3, 509, 38.

Βιβλίον Α Liber primus *suppl.* (*cf. infra* 354 *sq.*) || **5** cumulatium *L* || **6** largitus *L* || **11** παραχρημ *L* || **18** τλλυ *L* || **19** ταλινι *L* || **20** ιοθεν *L* || **22** ροδισια veneratim *L*

κατὰ στοιχεῖον	per litteras
πράσσω	ago
πράσσεις	ages
πράσσει	aget
πρᾶξον	age
ἔπρασσον	agebam
ἔπρασσες	agebas
ἔπρασσεν	agebat
ἔπρασσον	agebant
πράξω	agam
πράξῃς	agas
πράξῃ	agat
πράξωσιν	agant
ἐπράξαμεν	agebamus
ἐπράσσετε	agebatis
ἔπρασσον	agebam
ἐπράσσομεν	agebamus
πράσσετε	agetis
πράσσουσιν	agunt
πράξωμεν	agamus
πράξατε	agite
πραξάτωσαν	agant
κατηγορήσω	accusabo
κατηγορήσεις	accusabis
κατηγορήσει	accusabit
πίνω	bibo
πίνεις	bibes
πίνει	bibet
πίνωσιν	bibant
πίετε	bibete
ἔπινον	bibebam

28 GGL 2, 344, 11.

36 επρασσοαν *L* ‖ **41** agebamus L_1] agba- *L* ‖ **44** επραξομεν *L* ‖ **45** agetes *L* ‖ **49** πραξτατωσαν *L* ‖ **50** κατηγοριησω *L* ‖ **53** πειννω *L* ‖ **54** πειννις *L* ‖ **55** πιννι *L* ‖ **56** πιννωσιν *L* ‖ **58** επιννον *L*

ἔπινες	bibebas
ἔπινεν	bibebat
ἐπίνομεν	bibebamus
πεπώκειν	biberam
πεπώκεις	biberas
πεπώκει	biberat
πεπώκεσαν	bibebant
πίωμεν	bibamus
πίετε	bibetis
πίονται	bibent
ᾄδω	canto
ᾄδεις	cantas
ᾄδει	cantat
ᾄδουσιν	cantant
ᾆσον	canta
ᾖδον	cantabam
ᾖδες	cantabas
ᾖδεν	cantabat
ᾖσαν	cantabant
ᾔσαμεν	cantavimus
ᾔσατε	cantastis
ᾖσαν	cantarunt
χαρίζ<ο>μαι	dono
χαρίζη	donas
χαρίζεται	donat
χαρίζονται	donant
χάρ<ι>σαι	dona
